



# I. N. J.

## §. I.

**S**ciendum est, quod Voluntas Dei variis modis distinguitur, non quidem secundum se, sed ex parte objectorum & circumstantiarum. Quo de Petrus Lombardus Lib. I. distinct. XLV. p. 214. & 315. ita loquitur: *Hic non est prætereundum nobis, quod Sacra Scriptura de Voluntate Dei variis modis loqui consuevit: Et tamen non est Dei voluntas diversa, sed locutio diversa est de voluntate, quia nomine voluntatis diversa accipit. Nam voluntas DEI verè ac propriè dicitur, quæ in ipso est, & ipsius essentia est, & hæc una est, nec multiplicitatem recipit, nec mutabilitatem &c.* Martinus Becanus in *Theol. Schol. parte 1. Tr. 1. cap. XI. qu. 1. p. 104.* his utitur verbis: *Supradixi, Scientiam Dei secundum se unicam esse, licet ex parte objecti varia sit. Idem nunc dico de Voluntate DEI. Una est secundum se: multiplex ex parte objecti, & circumstantiarum. Dividitur autem his modis. Primo à Scholasticis, in voluntatem signi & beneplaciti. Secundo ab iisdem, in voluntatem absolutam & conditionaram. Tertio à Damasco, in voluntatem antecedentem & consequentem. Quartò, ab Augustino, in voluntatem efficacem & inefficacem. Quintò, à Calvinistis, in voluntatem revesatam & arcanam. Alia alii adhuc addunt distinctionum genera, vid. Gerb. exeg. L. 2. de nat. Dei & attrib. div. num. 267. & seqq. Et Meisn. anthrop. d. 12. q. 1. th. 1. & seqq.* Nobis jam, missis cæteris, cum voluntate signi & beneplaciti res est.

§. 2. Hac distinctione & Scholastici & Calviniani uuntur, sed sensu diverso. Inter Scholasticos proponit eam,

A

Thomae